

contradictores quoscumque per censuram Ecclesiasticam compescendo. Quem Nicolinum injustum detentorem, & occupatorem prædictum nos Episcopus, & commissarius prædictus tollimus, & removemus vigore præsentis instrumenti ab Ecclesia prædicta. In quorum omnium testimonium præsentibus litteras, seu præsentibus instrumentum fieri jussimus, & præcepimus, & sigilli nostri applicatione muniri, & de prædictis omnibus, & singulis fieri præcepimus publicum instrumentum per Joannem de Qui-¹⁰ regio scribam nostrum, & Notarium. Actum, & datum in castro nostro Bestagni præsentibus testibus vocatis, & rogatis, venerabili viro D. Jacobino ex Marchionibus Incisæ canonico Aquensi, & discretis viris Clemente de Bellomonte Notario, & Jacobino Cataneo de Clerico Novariensis diocesis.

Suspensio interdicti in loco Incisæ, ac vicis ejusdem concessa Johanni Marchioni.

344

M C C C L X X

Guido Aquensis Episcopus, & Comes Joanni nato quondam Oddonis ex Marchionibus de Incisa salutem in Domino. Noverint universi has nostras patentes litteras inspecturi, quod quamvis propter rapinam, & injuriam manifestam commissas per Antonium dictum de Clerico de Bergamasco nostræ Aquensis diocesis in terris Incisæ Castrinovi, Bergamaschi, & Carentini inter-³⁰ dictum auctoritate Apostolica posuerimus, prout hæc, & alia in actis nostræ curiæ evidenter elucescunt; nos tamen tuis justis supplicationibus inclinati, eo quod per te non stat, nec stetit, quominus dictus Antonellus raptor bonorum Ecclesiæ sancti Jacobi nobis commissæ gubernandæ per Dominum nostrum Papam ad obedientiam nostram, & sanctæ matris Ecclesiæ venerit, quoad te tantummodo, & ad consortem tuam Caterinam prædictum aucto-⁴⁰ ritate præfati Domini nostri Papæ, qua fungimur in hac parte suspendimus interdictum, tibi que, & præfata tuæ consorti licentiam impertimur, quod januis clausis una cum aliis Sacerdotibus, & Ecclesiasticis valeas divinis officiis, & missarum solemnibus interesse, præsentibus usque ad nostrum beneplacitum, & non amplius duraturis, ad cautelam etiam in actis nostræ curiæ registratis. Datum in castro nostro Bestagni die VI. martii, anno Domini MCCCLXX., indictione VIII.

Collatio Clericatus in Ecclesia SS. Fabiani, & Sebast. Carentini facta Guiscardo Bragio ab Episcopo Aquensi.

345

M C C C L X X

Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes. Dilecto nobis in Christo Guicardo nato Ruf-⁵⁰ fini Bragii de Carentino Clerico nostræ diocesis salutem in Domino. Exigentibus tuarum virtutum meritis, super quibus apud nos laudabili testimonio multipliciter in Domino commendaris, inducimur, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est, quod nos volentes intuitu Dei, & tuorum præmis-

forum meritorum tibi facere gratiam specialem, cognoscentes, quod in Ecclesiis SS. nim. Fabiani, & Sebastiani de Carentino, prædictæ nostræ diocesis, quarum collatio, institutio, & destitutio ad nos pertinet, pleno jure non est aliquis Clericus institutus, nisi Gabriel ex Marchionibus Incisæ, qui propter exiles reditus Ecclesiarum prædictarum non potest apud dictas Ecclesias facere residentiam personalem, nec eisdem in spiritualibus servire, & apud quas tu qui es oriundus de dicto loco potes¹⁰ servire Ecclesiis prædictis, & jura ipsarum defendere cum suis juribus conservare, ideo constituimus te Clericum præbendatum Ecclesiarum prædictarum assignantes tibi pro tua præbenda in bonis, & super bonis prædictarum Ecclesiarum libras quindecim. Astenses monetæ Incisæ tibi solvendas annuatim per rectorem ipsarum, præcipientes tenore præsentium ex nunc rectori ipsarum Ecclesiarum, & qui pro tempore in eis per nos institutus fuerit, quatenus de dicta præbenda tibi debeat integrè res-²⁰ pondere. In quorum testimonium præsentibus fieri jussimus nostro sigillo munitas. Actum, & datum ubi supra præsentibus testibus quibus supra.

Ibidem, & præsentibus dictis testibus Ruffinus prædictus constitutus coram Domino Episcopo, promisit eidem, & juravit in manibus suis bona, & jura dictarum Ecclesiarum manutenere, & laborare, & nulli de bonis ipsis respondere sine ejus licentia, & de eis eidem Domino Episcopo reddere³⁰ rationem, & de omnibus bonis mobilibus, & immobilibus facere inventarium per totum mensem aprilis proxime venturi, præcipientes dictus Dominus Episcopus de prædictis omnibus fieri publicum instrumentum.

Litteræ pro collata tonsura Bragio de Carentino Aquensis diocesis.

M C C C L X X

346

Noverint universi, & singuli præsentibus nostras⁴⁰ litteras inspecturi, quod nos Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes Guicardo nato Ruffini Bragii de Carentino nostræ Aquensis diocesis ætatis idoneæ litterato, & de legitimo matrimonio procreato cupienti adscribi militiæ clericali primam contulimus capitis clericalem tonsuram, & eum Clericum ordinavimus, & titulavimus ad titulum sui patrimonii secundum consuetudinem sanctæ matris Ecclesiæ, & stylum antiquum consuetum.⁵⁰ In quorum testimonium præsentibus fieri jussimus nostro sigillo munitas. Actum, & datum in castro nostro Bestagni die XXVII. martii, anno Domini MCCCLXX., indictione VIII. præsentibus venerabilibus, & discretis viris D. D. Jacobino ex Marchionibus Incisæ canonico Aquensi, Presbytero Antonio de Castellengo diocesis Vercellensis, Jacobino Catanio de diocesis Novariensis, Antonio de Bottini, & Ribaldo Aresca ambobus de Incisa testi-⁶⁰ bus vocatis, & rogatis.